

DISSERTATIO ACADEMICA,  
*EPITHETA APOLLINIS HOMERICA*  
*BREVI EXPLICATIONE DILUCIDATA,*  
*SISTENS.*

---

QUAM  
CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. ABOËNS.  
PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT  
*FREDRICUS WILH. PIPPING*  
*Philosophiae Magister,*  
ET  
RESPONDENS  
*ADOLPHUS MAGNUS LUNDENIUS*  
*Stip. Reg.*  
*Boreæ Fennones.*

In Ædib. Schol. Cath. die XIV Maji MDCCCVI.  
h. p. m. f.

---

*ABOÆ,*  
*Typis FRENCKELLIANIS.*

IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
DIOECSEOS ABOËNSIS  
*EPISCOPO REVERENDISSIMO,*  
ACADEMIÆ AURAICÆ  
*PRO-CANCELLARIO*  
EMINENTISSIMO,  
REGII ORDINIS DE STELLA POLARE  
MEMBRO SPLENDIDISSIMO,  
S. S. THEOLOG. DOCTORI CELEBERRIMO,  
*DOMINO*  
**JACOBO TENGSTRÖM,**  
SACRUM

voluit, debuit,

Auctor.



**E**pithetorum in scriptis Homericis abundantiam & varietatem qui consideraverit, facili negotio intelliget, Poetarum Principem, in diversis Deorum in primis cognominibus, ex mythologiae antiquae varietate aut ex ingenii sui ubertate enatis, cumulandis, summam posuisse operam & studium. Deorum vero in numero, quibus maximam cognominum varietatem tribuit Homerus, locum haud ultimum cum teneat APOLLO, neque generis nobilitate, nec munerum sibi delatorum multitudine in mythologia Graeca ulli Deorum secundus; operae pretium duximus, Speciminis Academicci loco, *Cognomina Apollinis Homericas*, brevi explicatione dilucidata, proponere; haud infelici omne opellam hancce suscepit existimantes, si ad veritatem cruendam quid conferre valuerit. Manus autem operi admoventibus nobis, plures mox fesse obtulerunt, haud sane leves, ex implicitis minimeque certis mythologiae Graecae rationibus oriundae, difficultates; quae quidem in nominibus Apollinis rite explicandis tanto maiores sunt, quo certius constet, variam admodum fabulosamque personam mythicam Apollini antiquitus fuisse delatam. A mythologicis igitur Graecorum de Apolline narrationibus, quibus tota cognominum Apollineorum doctrina his pagellis exponenda innititur, exordium capere convenit.

A

§. I.

## §. I.

Uno quasi ore testantur monumenta. Veterum, matu-  
re jam sideribus coeli divinos honores tribuisse antiqui-  
oris ævi homines, Solemque insigni præcipue cultu ab  
iisdem fuisse prosecutum; Græcos vero, aut peculiaris  
eujusdam Numinis specie, cui Ἡλιος nomen, aut etiam  
APOLLINIS sub imagine, laudatum coeli coluisse prin-  
cipem. Difficile autem quanquam sit judicatu, cur unam  
eandemque rem duobus (Ἡλιος atque Απολλωνος) nominis  
bus coluerint, quæque differentia inter ambo hæc numi-  
na obtinuerit; haud injuria tamen affirmare nobis vide-  
mur, Græcos, nomine Ἡλιος, Solem, qualem sensibus  
subjectum haberent, intellexisse, eidemque, tot mirabiles  
effectus exlerenti, Divinam primitus adjudicasse naturam  
& cultum; postea vero, rationis lumine sensim crecen-  
te collustratos & in cognitione rerum longius progressos,  
aliam quandam, rationis quasi usu præditam, vim, quæ  
cursum Solis dirigeret & a cuius arbitrio omnia, quæ Sol  
efficit, penderent, sibi concepisse, & sic quidem Apollini,  
Jovis & Latonæ filio, superiorem hunc dignitatis ho-  
norem attribuisse, indeque factum esse, ut pleræque Apol-  
linis virtutes cum Sole sint communes. — Quamvis  
autem non adeo confusa fuerint horum Numinum no-  
tiones, quin & nomen & cultus utriusque semper man-  
ferit; Apollini tamen & majores & celebriores habitu sunt  
honores. Ita quoties de benefica aut noxia Solis vi quid  
agitur, Apollinem ejus rei auctorem faciunt antiqui, Poe-  
tae in primis, mythicis aut allegoricis, rerum causis in-  
vestigandis se delectantes. Hinc prima maximeque me-  
morabilis Apollinis virtus est, qua Solis gressum dirigens,  
omnes mundi partes luce sua implet omniumque in mun-  
do provenientium rerum vitam fovet ac servat. Quem-  
admodum autem duplex Solis est vis, altera vehemens  
nimis,

nimis, altera moderata; ita non solum artis jaculandi principem, sed etiam Medicinæ auctorem & Medicorum choragum Apollinem, Solis Deum, Græci habuerunt. — Verum tamen non haec solæ, quanquam primariæ, Ejusdem sunt laudes; adjiciuntur nempe aliae, quibus eminens Apollo, Vatis, Musicis & Pastoribus præesse traditur. Quæ cum nullis fere in Homero obviis Epithetis locum dedisse proprie censerri queant; ab instituto nostro alienum esse videtur, vim illarum exponere. Progrediamur potius ad fabularum de singulis Apollinis factis, ex quibus cognomina quædam Ejus ducuntur, ortum explicandum. Reticendum namque non est, in Historia Apollinis varia occurrere momenta, quæ hominis, Divina specie induiti, vestigia produnt. Jure autem suspicamur, antiquo ævo receptam fuisse consuetudinem, magna quæcunque facta, vel nova vel incerta indole conspicua, Diis, terrarum orbem humana forma lustrantibus, tribuendi, ejusque consuetudinis vestigia haud levia, in fabulosis, de Apolline, serpentem Pythonem occidente, greges Admeti regis palcente, muros Trojanos ædificante &c, narrationibus apparere. Sed haec hactenus. Ad ipsam itaque expositionem cognominum Apollineorum nosmet conferimus. Quumque omnia, quæ apud Homerum offendere nobis licuit, Apollinis Epitheta, ejus sint indolis, ut in quatuor Clases, prout vel a natura & virtutibus Solis, vel a locis Apollini sacris & Oraculis Ejus, vel a rebus suis gestis, vel denique a natali Ejus solo & natalibus, translata fuerint & deducta, commode possint referri; hunc quoque in iisdem recensendis & explicandis, servabimus ordinem.

## §. II.

Ad primam Classem scilicet ejusmodi Epitheta, quæ ex natura & virtutibus Solis traducta sunt, suo jure pertinent:

*Φοῖβος*, frequentia sua in scriptis Homericis, non minus quam Interpretum de illo rite reddendo dissidiis, celebre. Ad rem vero quamcunque intelligendam cum haud parum conducat, varias eorum, qui studium & operam in eadem investiganda posuerunt, sententias, rite pensitasse; primum monuisse juvabit, inter plurimos quidem convenire Interpretes, epitheton hocce ad illum theologiae Græcanicæ referendum esse locum, quo Solis nomine Apollo occurrit, sed de origine vocis genuina quatuor in primis circumferri opiniones. Una, qua *φοῖβος* nomen a *φω* vel *φω*, *splendeo*, *luceo*, derivatur, altera, qua ad notionem effectivam verbi *φω*, *lucere faciendi*, h. e. *indicandi*, & deinde *oracula edendi*, refertur; tertia, qua in origine Epitheti ex avia Apollinis *Φοῖβης* nomine ducenda, versatur; quarta denique, qua *φοῖβος* cum simili voce *φαεβος*, *arcu splendens* s. *splendentem arcum gestans*, comparatur (a). Quarum etsi nulla omni plane ad probandum caret vi, negandum tamèn haud est, primo loco jam positam tententiam rationibus mythologiae antiquæ proxime convenire. Præterquam enim quod genio linguae minime repugnet, nominis *φοῖβος*, in verbo *φω* vel *φω* querere etymon; eo præsertim nomine ceteris interpretandi periculis præferenda est laudata sententia, quod, splendendi significatione admissa, simplicissimam & cum indole cultus Apollinis maxime solennis, non solum facile componendam, sed etiam intimo nexu coharentem, dignat explicationem. Quemadmodum enim Apollo Græcorum eo maxime titulo, quod Solis esset numen, cultus fuit; ita cognomen quoque *φοῖβος* usu adeo frequens est,

a) De his conferri posunt C. T. DAMM *Novum Lexicon Græcum Etymologicum & Reale* pp. 2467 & 3028, & APOLLONII SOPHISTÆ *Lexicon Græcum Iliadis & Odysseæ*, sub hac voce.

est, ut ex Epitheto in nomen Dei proprium fere abierit; quare nec longe petita est conclusio, celebratam illam Apollinis cum Sole comparati vim, usitatissimæ huic Ipsius appellationi ansam dedisse. Quo cum accedat usus ipsius linguae Græcæ, secundum quem aliis quoque substantivis, notione puri s. *splendentis* retenta, adjectivum *φοιβος* apponitur; non quidem potuimus quin cum clarissimis Lexicographis HESYCHIO & DAMM (b) fundamenta cognominis *φοιβος* in ea verbi *φων* vi poneremus, qua *splendere*, *lucere*, significat, & simul statueremus, *splendentem* Apollinem dictum, propterea quod Sol in primis splendore suo sensus feriat.

Κλυτοτοξος. Græcos non minus quam Romanos, Apollinem suum arcu sagittisque armatum fixisse, notum est; causa vero, cur his ornaretur symbolis, non solum a Poëtarum Pictorumque ingenii lusu, sed potius a sensibus canæ antiquitatis universæ repetenda est. Quemadmodum enim hominis est, causas rerum perspicere velle, ita veritatis indagandæ studium hoc, certis rationis humanae principiis haud semper innixum, animos hominum sensibus suis nimis indulgentium, in devia haud raro abstulit. Testantur sc. plurima Theologiæ antiquæ scita, causas phænomenorum physicorum aut actionum humanarum, in primis vero omnium rerum inopinatarum & dubiarum, a Diis suis derivatas. Sic Apollinem pestiferæ stragis & repentinae mortis causam habuerunt antiquioris ævi homines, alia ut omittamus exempla. Noxiæ enim vis, quam Sol's ardor vehemens, temperiem aëris pestifero spiritu inquinans, in sanitate viventium corruptenda exserit, haud ignari, Solem pestis & repentinae mortis auctorem habuerunt: vitam quasi Apollinis sub nomi-

6

ne) & humana instrumenta Ipsi concedentes Arcu nempe & sagittis ornatum Eum, repento morbo aut peste orta, itaque incensum iaculis suis homines ceteraque animantia invadere credebant, radiis Solis ex imaginaria effectus similitudine cum sagittis comparatis. Adde, antiquis commune hoc esse linguis, ut, genio infantiae generis humani, qua primum esse coeperunt, parentes, omne, quidquid e longinquo & occulte simul agat, iaculis & telis comparatum sistant; nec amplius mireris jaculaudi artem Apollini propriam tributam esse. Hinc statum quoque fuisse videtur, ut Homerus, sensuum sui faculi fidus interpres, plurimis ex τοξην Απολλinis desuntis uteretur cognominibus; quorum in numero Κλυτοτοξος, arcu insignis, universam Apollinis, jaculaudi peritia incliti, vim optime significat.

*Αργυροτοξος.* Positis his quæ jam de Apolline, jaculaudi arte insigni, disseruimus, origines quidem nominis hujus satis patent; propriam vero ejusdem vim in ambiguo tamen habent Interpretes, quandoquidem certo ipsis non constet, quodnam sit tertium comparationis, cuius similitudine observata, argenteus Apollinis arcus dicitur. Cum enim notum sit, aurum in primis Deorum usui inserviisse, ipsumque adeo Homerum, plurimis carminum suorum locis, de variis generis supellectili, armis aut instrumentis quibuscumque usus Deorum domestici, Vulcani arte ex auro plerumque affabre factis, narrare; mitum videtur Interpretibus, quod idem hic vates, non minus quam ceteri post eum, exclusive fere (c. Apollini *argenteum* tribuant arcum, cum tamen pleraque alia Apol-

---

c) Vocatur etiam Χρυσοτοξος Apollo a recentioribus, PINDARO in primis praeeunte.

Apollinis, ab *aurea* ejus lyra, ense & coma, translata sunt nomina. Apud Interpretes igitur de nomine hoc rite reddendo nihil fere certi expositum reperimus. — HESCHIUS quidem *καλλιτόξος* reddit, sed latius indeterminate, & MACROBIUS (*d*) rem paullo accuratius exprimere voluisse videtur, his verbis: "quod enascens per summum orbis *ambitum* velut arcus quidam alba & argentea figuratur *specie*, ex quo arcu radii in modum emicant sagittarum." Unde haudi injuria colligere licet, vim epitheti *αργυροτόξος*, ne quidem antiquo ævo fuisse firmam satis & certam, sed potius pro vario interpretum gusto & sensu, diverse explicaram. Si vero, quæ nostra est sententia, libere profiteamur, non est ut ad vivum quasi refecemus comparationem istam cum *argento*, aut anxiæ quæramus, quod nam phænomenon hic proprie intelligendum sit; caput enim esse videtur rei, *fulgorem* Solis, cum *splendore* argenti, nulla coloris ratione habita, Poëtam comparasse. Præterea observandum est, auri usum ad Deorum supellectilia non adeo communem fuisse, quin argenti quoque, æris &c. frequens commemoratio in ipso quoque Homero occurrat; adeo ut jure forsitan statui possit, *αργυροτόξον* Apollinem vel propter pretium argenti, auro fere æquiparandi, vel respectu habito ad præcipuam arcus vim, in elasticitate positam, quæ in argenti metallo eximia est, desideratur vero in auro, appellatum fuisse.

*'Ex αργεῖος dicitur Apollo (ab ἄρεις & εργω s. εργω) longe vel e longinquo operans, propterea quod Sol a terra procul remotus, radiis tamen suis magnam in terra vim exercitat. Ad vires igitur quascunque Apollinis, quatenus est Sol, referri cognomen hoc jure meritoque potest. Cum vero*

*d*) In *Saturnaliorum* Lib. I Cap. XVII.

vero antiquorum sermonibus τοξην Apollinis maxime celebretur, factum proinde est, ut Interpretes uno fere ore Epitheton hocce ad Apollinis jaculandi artem, quoad sensum ne sic quidem male, restringant. Quare etiam longe jaculans vulgo vertitur, sensu, neque a mox afferendis epithetis distanti, neque ab usu Homericō (quod ex plurimis carminum locis demonstrari potest), alieno.

Ἐκηβόλος, eminus feriens (ab ἔνας & βαλλω), propius quasi eam Apollinis virtutem, qua sagittis suis homines ceteraque animantia ferire subitaeque morti tradere (Cuius opinionis insigne in primo Iliadis libro documentum exstat.) credebatur, spectare, omnes, quantum novimus, concedunt Interpretes.

Ἐκατηβόλος & Ἐκατηβελετης, vi vocis eandem quoque respiciunt Apollinis virtutem. Quanquam enim, EUSTATHIO & HEYNE referentibus (e), SIMONIDES quidam antiquo jam tempore ad Apollinem, centum sagittis Pythonem serpentem, interimentem, Epitheta hæc retulerit; veritatem tamen ab eorum Interpretum stare existimamus partibus, qui ceterorum supra jam expositorum cognominum secuti analogiam, celeberrimam omniumque in ore versatam Apollinis jaculandi artem his quoque epithetis (ab ἔκαθεν & βελος ή βαλλω compositis) depictam esse statuunt.

Ἐνατος, nec ipsius vocis origine nec significatione a præcedentibus differt. Quamvis enim, brevitatis causa, com.

e) v. EUSTATHII Παρειβόλος εις την Ὀμηρον Ιλιαδα, ad Lib. I:um & Homeri Carmina, cum brevi annotatione, curante C. G. HEYNE, Tom. V. p. 615.

8 9 1 8

compositionis altera pars omisita sit; eundem tamen involuit sensum. Voce igitur *Exaros*, *longe jaculans*, ea Apollinis natura sine dubio indicatur, qua ad magnam & repentinam cladem viris & pecudibus, sagittarum & radiorum suorum vehementi ictu, eminus immittendam, ferri dicitur.

H̄os, varie a diversis codicis antiquorum scrutatoribus legitur, unde etiam variæ de voce rite interpretanda sententiae. Antiquorum enim non minus quam recentiorum nonnulli ARIS PARCHUM secuti, ḥ̄os s. ḥ̄os scribentes, a verbo *inpi*, *mitte* (e. g. *sagittas*) derivant, sagittariamque Apollinis artem indicari existimant. Alii cum spiritu leni ḥ̄os s. ḥ̄os legentes, ad fanaticem Apollinis vim, quatenus Medicorum choragus est, rem deferunt. Quidam rursus, ab argumentis his ex orthographia vocis ductis discedentes, novas proposuerunt hypotheses, quarum e numero duas tantum, probabilitatis laude præ aliis eminentes, exponere liceat. Altera sc. fundamentum cognominis ḥ̄os in verbo *ire*, *vadere*, quia Sol ne momentum quidem temporis endem loco visendus permaneat, ponit; altera autem vocem ḥ̄os, ab acclamacione in hymnis & precationibus ad Apollinem celebrata *m*, *m*, ducere præfert f). Quæ cum ita sint, notio epitheti hujus tuto vix constitui potest, sed in maxima verisimilitudine acquiescendum. Est vero, quantum nos quidem assequi possumus, omnium explicationum verissimillima, quam ex APOLLODORO mutuo sumsis DAMM, quaque in imaginario Solis motu quotidiano rationem denominationis laudatæ querendam esse asseritur. Præter-

B

quam

---

f) Cfr. præter alios supra jam citt. in primis MACROBIUM, qui l. c. omnes has sententias fuisse exponit.

quam enim quod nullam videamus idoneam causam, cur  
 ηιος idem valeat quod ιηιος aut ιηιος, cum a recentiori-  
 bus tantum usitatum sit hoc, in Homero autem nusquam  
 obveniat; natura quoque Apollinis cognita & ulus ipsius  
 linguae, aliam suadent, simplicissimam quidem, interpre-  
 tationem. Quemadmodum enim antiquo ævo, motus  
 terræ ordinarius, quo cursum suum diurnum & annum  
 conficit, nemini fere notus erat, sed Sol terram circum-  
 errare credebatur; ita motus imaginarii phænomenon  
 hoc, omnium sensibus apparet, non potuit non in nu-  
 merum venire rerum, a quibus appellationes Solis vel  
 Apollinis ductas jam habemus. Adeoque non est quod  
 neget quis, verbum ειω s. ειμι, eo, vado, facilem, ad A-  
 pollinis epitheton ηιος cognoscendum, præbere, accesum;  
 præsertim cum haud defint exempla vocum, ex verbo  
 hoc derivatarum, quæ similitudine observata magna, fu-  
 am cum hoc nomine cognitionem produnt. Cujus ge-  
 neris est ηια (τα) viatica s. paleæ, cuius ipsa significatio  
 satis jam ostendit originem, quam plurimi quoque Inter-  
 pretum in τω ιεναι, ponunt; item ηιω, littus, quod ab  
 ειμι etiam videtur translatum.

Χρυσαρχος, quamvis simplicis videatur compositionis,  
 multis tamen Interpretum jurgiis locum dedit; sibi enim  
 concipere non poterant Interpretes, quomodo Epitheton  
 ab ense ductum, Apollini, sagittis & arcu præstanti, nec  
 ceterum bellica virtute insigni, traderetur. Quidam ar-  
 cum, nonnulli ensim, appellationi huic ansam dedisse,  
 contendunt. Alii rursus vocabulum illud in χρυσος &  
 αεισω solventes, aut de aurea Apollinis pharetra, s. loro  
 ex quo pharetra pendet aureo, aut etiam de citbara Ejus  
 (argute magis quam vere) intelligunt, Apollinem χρυσαρ-  
 χον, utpote aurea pharetra vel citbara ornatum, vocari  
 existimantes; alii denique, voce αρχ, arma s. tela quæ-  
 cun-

11

cunque in universum appellari contēdentes, ad quāvis Apollinis tela hoc nomen referunt<sup>g)</sup>. Argumenta vero, quibus sententiam suam quisque superstruere conatus est, conferentes & inter se expēndentes, in eam facile adducimur opinionem, epitheto *χρυσαός*, *auriensem* Apollinem sīsti. Ut enim taceamus, vocem *αρρενός*, in scriptis Homeri, eadem qua *ξιφός* significatione occurrere (quod quidem inter alia innumera loca videre est ex Odyss. VII. 403 seqq.), usumque loquendi Homericum, in notione epitheti nostri constituenda, utramque, ut dicitur, facere paginam; Apollinemque, ut bene obseruat KÖPPEN h), cum *galea* & *ense*, priscis temporibus (licet statuē, temporis ruinam evasæ, aliter suadeant) fuisse depictum: in ipso Sol, radiis suis, gladii fulgentis (& quidem aurei) instar homines haud raro conficiente, ratio denominationis latet quam maxime perspicua.

*Απερστενούμης.* De Epitheto hoc rite interpretando non convenit inter omnes, qui operam in eodem examinando posuerunt, scriptores. Plurimi quidem Solis radios, crinibus humanis collatos, ansam appellationi huic dedisse concedunt, sed simul varias admodum, de genuina comparationis hujus vi & cum indole Solis nexu, fovent sententias. Quidam enim *απερστενούμην* Apollinem dictum putant, quia radii Solis, in modum capillorum incondite caput cingentium tonsuramque haud passorum, circum circa extensi sunt. Alii nomen hoc ad barbam referunt, *barba intonsus*, aut *barba carens*, quia juvenis teneri imagine Apollinem pinxerant Græci, reddentes. Nec ii de-

B 2

sunt,

g) v. HEYNE ad Il. V. 509.

h) v. Erklärende anmerkungen zum Homer, v. J. H. J. KÖPPEN, ad loc. cit.

funt, qui, more Græcorum capillos suos in gravi Iuctu tondendi provocato, Phoebum ideo vocari intonsum, quod Iuctui obnoxius non sit, contendunt. Nonnulli denique capillos quidem hic intellectos volunt; sed demissionem illorum incomtam, symbolum esse juventutis æternæ Solis, quotidie orientis novamque sic & nunquam senescentem faciem præbentis, existimant <sup>i)</sup>. Quod si autem nostrum de hac re judicium proponere liceat, ea interpretandi ratio, qua barba prolixa aut intonsa, epitheto hoc significata, conjicitur, eo magis a veritate nobis videtur abhorrens, quod nomine *κομης* propriæ, non nisi de *coma* s. *capillis* sermone instituto, utantur auctores Græci, simulque notum sit, omnes antiquas imagines Apollinem intonsa cæsarie ornatum sistere. Morem autem erines in Iuctu tondendi quod attinet, frustra quidem huc trahi eum putamus, cum nonnisi longe petitam & exilem explicationem efficiat. Neque dubitamus, quin primo & ultimo loco exposita sententia egregie inter se consistere possit, & cum genio linguae Græcae non minus quam antiquarum gentium cogitandi & sentiendi ratione conciliari. Cum enim ex altera parte certum sit, apud Græcos in summo honore & laude habitam fuisse comam, natura pulcram, promissam & copiosam (unde non solum Græcos universos *παρηκομοωντες* Homerus vocavit, sed etiam epitheta quædam ab eadem cæsariei præstantia translata, qualia *πυκνομος*, *καλλιπλοναμος* &c. Deorum suorum nominibus addidit), Apollinique s. Soli, radiis in modum capillorum longitudine protractorum fulgentibus procul eminenti, cognomen *ακεστεκομης* apprime  
con-

---

i) Cfr. Auctores supra cit. in primis KÖPPEN ad II. XX. 39. — Item Kritisch-Deutsches handwörterbuch v. J. G. SCHNEIDER, & Scholia antiqua in c. l. Hom.

convenire; neque ex altera parte negari possit, Græcos, Apollinem, juvenis, senilium annorum gravitati nunquam succumbentis, adeoque comarum pulcritudine & copia perpetuo florescentis, persona induitum repræsentasse; haud longe arcesita ea videtur concludendi ratio, qua Deum Solis *απερσενομη*, propter intonos capillos suos, dictum esse affirmatur.

*Ιηπαιων*, ex clamandi formula *η παιων* s. *παιων*, qua Apollinem invocare solebant antiqui, deductum, in Homero rarius occurrens, vocabulum; de cuius genuina significatione Interpretes itidem certant. Primum enim de origine vocis *η* inter omnes non convenit, deinde duplum etiam cognomen hoc enucleandi viam aperit verbum *παιων* (a quo sine dubio flexum est *παιων*), quod quidem proprie est *ferire*, synonymumque etiam esse traditur cum *παιων*, *cespare facio*, & *θεραπευω*. De origine vocis *η* multis distinere opus non est, cum omnium consensu, in precibus & gratiarum actionibus Apollini factis, interjectioni huic, fausta & lætabundæ plerumque indolis, locus fuerit. Ad *παιων* vero quod attinet, qui primam ejusdem significationem admittunt, Apollinem *παιωνα* dictum, vel quod serpentem Pythonem sagittis suis *ferierit*, vel quod in universum celebris jaculandi arte fuerit, contendunt <sup>k)</sup>. Quorum tamen sententiae obstare videtur, quod plurimis Machaoniæ artis cultoribus, ut AEscULAPIO, PÆONI, Deorum illi Medico inclito, & al. communè sit nomen *παιων* s. *παιων*, indeque perspectu difficillimum, quomodo nomen illud Medicorum celebre, Apollini contraria arte gaudenti, additum sit,

---

<sup>k)</sup> Cfr. MACROBIUM l. c. & C. GIRARDI *notas ad Plutum Aristophanis* comm. 656.

fit, nisi a virtute Ejus qua Medicorum singitur præsul, manaverit. Quamvis autem primo intuitu admirationem movere possit, quod Apollinem, jaculandi arte ornatum (adeoque pestis & repentinae cujusque morbi auctorem), artis iatricæ choragum diximus, ad ipsos tamen fontes mythorum de Apolline Medico si retrogrediamur, non erit quod tantopere miremur, duas sibi invicem adversas virtutes Ipsi fuisse adjudicatas. Notum enim est, Apollinis cultu Solem in primis celebrari; qui, vehementi lucis suæ ardore, morborum causa interdum quamvis sit, temperato simul calore suo aëris temperiem sanitati faventem plerumque reddit, adeo ut valetudinis auctor merito habendus sit. Caligantis igitur rationis cum sit, ex observatis phænomenis, non ad proximas, in ipsa rerum natura positas, sed ad remotas & quasi superiores, intra orbem, in quo sensibus externis conspicuae res versantur, frustra querendas, humana tamen forma visendas, causas, concludere; Apollo quoque non solum sanitatis tuendæ laudem obtinuit, sed & ipsius medicæ artis inventor & princeps habitus est. Nulli igitur dubitamus, quin in eorum transeamus partes, qui *παπαῖονος* nomen Apollini, quatenus Medicinæ inventor, imo malorum quorumcunque averruncus est, datum existimant 1). Notum enim est, voces similitudine soni cognatas saepissime commutari; quare etiam fieri potuit, ut verba *παπεῖν* & *παπεῖν* eandem significationem *medendi*, *sanandi* (*παπεῖν* scil. *οὐνασ*) obtinuerint. Atque idem quoque probate vindentur similitudines nominum *παπαῖονη*, *παπαῖον*, *παπαῖον* &c. quæ omnia ad medendi scientiam vulgo referuntur.

*Αὐαξ* Apollo plurimis Carminum Homericorum locis vocatur κατ' εξοχην; imo familiaris adeo Poëta fuit hæc ap-

1) v. EZ. SPANHEMI<sup>II</sup> *notas* ad locum ARISTOPHANIS cit.

appellatio, ut haud raro nominis proprii vim accepisse eam reperies. De propria vocis origine disceptare hoc non pertinet; monuisse sufficiat, hanc omnibus fere Viis communem appellationem, non quidem eo ex capite egere illustratione, quod Apollini quoque tribuatur, sed propterea quod frequenter & *narrat* εξοχην ad Eum referatur. Cujus rei prima quidem est ratio, quod Sol, in excelso loco positus, & inter sidera minora maxime emisnens, saluberrimamque suam lucem terrae adspergens, *nex* coeli merito audiat; altera autem quod *domini* & *præsidis* (οκόδεσποτας f. επισκοπας) notionem αναξ sapientius apud Homerum involvat. Sic Chryses Apollini ανακτη preces fundit (*m*), quia is templi Chrysaëi dominus (αναξ) fuit. Glaucus autem vota eidem facit (*n*), propterea quod suæ gentis in primis Deus & medendi quoque artis επισκοπας habitus fuerit. Igitur largiamur, necesse est, utramque notionem ad epitheton αναξ gignendum contulisse; quare etiam in propria hujus nominis vi, quibusvis locis competente, definienda, ad seriem nexumque orationis in qua occurrit, configiendum semper est,

### §. III.

Ad alterum Epithetorum Apollinis Homericorum ordinem referimus:

Πυθανος, celebratissimum Apollinis, quanquam in Homero rarius tantum occurrens Epitheton, cuius derivacionem, vel a serpentis Pythonis, vel ab urbis Delphicæ nomine, vel a verbis πυθω (h. e. σηπω), πευθω f. πυνθωναι.

*m*) Il. I. 36

*n*) Il. XVI. 514.

*μοναῖ*, arcessendam esse Interpretes contendunt. Pater ipse Homerus (Hymn. ad Apoll. 372 lqq.) nominis *Pythii* rationem his verbis reddit

”Εξ δὲ νῦν πυθω κιλησκεται, οἱ δὲ ανακτα”

”Πυθιον καλεστιν επωνυμον, θυντα πειδι;”

”αυτε πυσε πελωρ μενος οχεος ηδιοιο”

Quodsi igitur nihil obstaret, quominus certo credere licet, omnia quæ Homeri nomine circumferuntur opera, eum auctorem agnosceret, & simul de historica hujus loci fide nullum esset dubium; Homerica certe explicazione acquiescere consultissimum esset. Cum vero Hymni Homerici, qui nostris jam teruntur manibus, quoad γυησιτητα suam suspecti sint fabulisque nimis quantum conspersi, non miretur quis, si, Homerum deferentes, rationem nominis πυθια aliunde petierimus. Omnia autem quæ ad genuinam nominis hujus vim investigandam, monstrantur viarum, minime ardua & difficilis nobis visa est, quæ ad nomen Delphicæ urbis πυθω, originem cognominis Apollinei reducit, quippe quæ ex historicis testimoniosis progressa conjecturarumque præruptis angustiis haud impedita, ad veritatis metam proprius videtur adducere. Notum enim cuique est antiquum illud urbis Delphicæ s. regionis Phocidis, in qua hæc urbs sita erat, nomen Πυθω, intima cum nominibus *Pytha* (serpentis), *Pythius*, *Pythia* &c. cognitione junctum. Deinde neminem latere potest antiquo ævo receptus, nomina locorum, hominibus Diisque in his locis versantibus aut curam eorum singularem gerentibus, apponendi, mos. Quare etiam a vero haud abhorrens eorum est sententia, qui ex antiquo Delphicæ Apollinis sedis nomine, appellationem „*Pythii* Apollinis ortum suum duxisse, contendunt

dunt. (o) Magna namque Veterum auctoritate adstruitur, urbem illam, in qua responsa Apollinis ex tripode dabantur, antiquitus Ναπην & Κεισσαν dictam, currente tempore nomen Πυθω quoque sortitam fuisse. Unde vero nomen illud Πυθω, utrum in memoriam serpentis *Typhonis*, (litteris turbatis *Pythonis*), Apollinis sagittis perforati, an alia quacunque de causa, acceperit, hic quidem disquirere non refert.

Δελφοῖς, ad Apollinem, Delphusæ fontis fluenta occultantem, & propterea, in templo prope fontem exstructo, *Delphusii* cognomine invocatum, refert Homerus Hymn. in Apoll. v. 382 sqq. — En locum hunc ad verba descriptum:

” Ἡ, καὶ επι γίου ωτεν αναξ ἐκάργος Απολλων ”  
 ” πετερησ προχυτησιν, απεκρυψεν δε ρεεθρα, ”  
 ” καὶ Βωμον ποιησατ' εν αλσει δενδρηντι ”  
 ” αγχι μαλα κηρυης καλλιρροε, ενθαδ ανακτι ”  
 ” παντες επικλησιν Δελφοῖς ευχετοωνται ”  
 ” ονεκα δελφοῖς ιερης ποχυνε ρεεθρα. ”

Licet vero tota hæc Homericæ explicatio nimis quantum mythicam indolem prodat; nihil tamen aliud in recessu habere videtur, quam causam, cur cognomine *Delphusii* appellaretur Apollo, e loco, ubi fanum Ipsi exstructum erat, esse derivandam. Fontem autem Delphsam si spectes, idem sine dubio est cum Boötico illo,

C

quem

o) De variis hujus nominis explicationibus consuli possunt LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS *Historiae Deorum gentilium*, Synt. VII fol. 219 sqq.

quem STRABO (*p*) *Tilphosium*, prope quem Apollinis *Tilphosi* templum positum erat, vocat.

#### §. IV.

Ad tertiam vero Classem, sive e rebus gestis Apollinis apud Homerum ducta Epitheta, quæ sequuntur, lumenter retulerimus:

**Σμνθευς.** Duabus propriam Epitheti hujus indolem investigandi viis, præeuntes nobis invenimus veterum Interpretes APIONEM & ARISTARCHUM; quorum ille a muribus, Cretensium lingua Σμνθοι dictis, hic vero a Σμνθη, urbe Trojana, ubi præcipue cultus erat Apollo, Σμνθευ. Σμνθοι Apollinem appellatum fuisse autumant *q*). Quamvis autem negari haud queat, morem priscorum, homines Deosque præclaris facinoribus celebres, locorum, quibus patrata fuerint, respectu habito, nuncupandi, interpretationi, quam ARISTARCHUS proposuit, haud parum favere; quominus tamen absoluta ad probandum vi hæc eadem gaudere pronuntietur, impedit, quod ab alia parte gravia adsint argumenta, quibus, ad mures in cognomine hoc Apollini trbuendo respectum quandam habitum fuisse, cogitur. Narrante sc. STRABONE (libro XIII), plurima Græciæ loca nomine *Sminthii*, suo tempore insignita, in Chryla vero præsertim Apollinis *Sminthii* templum exstructum, exstisit; muresque, non tantum antiqua religione Apollini sacros fuisse, verum etiam symboli instar in imaginibus Ejus (qualem in Chry-

fæo

*p*) v. STRABONIS *Geographicorum* I. IX, p. 411. ed. Paris anno 1620 editæ.

*q*) cfr. Lexica APOLLONII & SCHNEIDERI sub. h. v.

læo templo positam vidit) conspicuos: ne sic quidem male statuitur, rationem denominationis Apollinis *Sminthii* a *muribus* esse repetendam. Alias enim, neque, qui factum sit, ut eodem nomine σμνθης plura ejusdem provinciæ loca appellarentur, neque cur mures imaginibus Apollinis suppositi fuerint, intelligimus. — Suspicamur hinc, nomina Σμνθεως Apollinis & Σμνθης urbis s. locorum omnium, quæ Σμνθια dicebantur, communem in historia de muribus agnoscere fontem, Cretensesque cum ex Creta Troadem migrantes aut jam transvecti (*r.*), a muribus male vexati, Apollinis beneficio ex gravi hoc periculo liberati fuissent, ansam sibi arripuisse, non solum tutelari suo Deo, verum etiam urbibus quibusdam suis, nomen σμνθης & σμνθης, in gratiam tanti beneficii memoriam imponendi. Quibus positis nec difficile est perspectu, qui fiat, ut mures Apollini sacri in imaginibus Ejus (Trojanæ præsertim regionis in templis positis) efficti occurrant. Ceterum, cognita Apollinis ad Solem relati persona mythico allegorica, non est quod miretur quis, mures ab Apolline extintos dici, cum repentinæ cujusque stragis auctor habitas fuerit. — Mures vero tantam perniciem inferentes quod attinet, σμνθης s. σμνθος, Cretensium sermone *Murem domesticum* dictum Lexicographi quidem perhibent, inter alios HESYCHIUS, qui κατοιδος μες habet; sed aliam quandam murium speciem, ex. gr. *agraviorum*, ut STRABO (qui l. c. mures αγραντες habet) vult, intelligendam esse, multo videtur probabilius.

Δελφιος, in scriptis quæ extant Homericis semel tantum, Hymni nempe in Apollinem comm. 493 sqq.

*r.)* Variae de hoc facto narrationes in STRABONIS XIII & EUSTATHII Commentariis ad II. I 39 leguntur,

reperimus, ubi simul ratio denominationis exponitur  
his verbis:

” οὐ μεν εγω το πρωτον εν ηροειδει ποντῳ, ”  
” ειδομενος δελφινι, θοης επι τηος οργασα, ”  
” ας εροι ευχεσθε Δελφινιο — — — ”

Apollo enim, fani Crisæi s. Delphici fundamentis  
jactis, sacrorum ministros sibi comparaturus, Cretensibus  
civibus in mari forte navigantibus, viam Pythonem, co-  
loniam ibi fundaturis, Delphini seu monstri cuiusdam  
marini indutus specie, monstrasse dicitur; quare etiam  
loco Carminis dicto, Ipse, in memoriam hujus f.cti sibi  
imposito nomine, invocandum se Cretensibus præbet;  
Quamvis autem poëtici ingenii lusum expositio hæc no-  
minis sapiat, id tamen non impedit, quominus veritas  
in eadem lateat, cum non solum simplici admodum mi-  
nimeque implicita etymologia sece commendet, sed etiam  
vestigia haud levia variarum, fabulosis commentis invo-  
lutarum, veteris ævi narrationum de ortu nominis Del-  
phici oraculi prodat.

Λαοσσος, Minervæ & Eridi potius, quam Apollini,  
proprium videtur Epitheton. Causa tamen cur Apollo  
quoque λαοσσος in Homero interdum vocetur, ex ope,  
quam Trojanis, bello Græcis eos invadentibus, tulisse  
narratur (animum sc. iis addendo & ad præclium incitan-  
do), sine dubio repetenda est. λαοσσος enim, & usu  
linguæ, & nexu orationis plurimorum inprimitis ubi de  
Apolline dictum hoc nomen occurrit) locorum, suadente,  
a λαος & σωι s. σενω, populum agito, ad pugnandum in-  
cito, saniorum Interpretum contentu, derivatur. Ubi e-  
tiam ad seriem orationis in II. XX. c. 79 seqq. attendere  
volueris, Apollinem λαοσσον, propterea quod Achil-  
lem,

Iem, gravi furore in Trojanos fævientem, incitaret, dictum facile reperies.

*Δεινος* singularis item, nec ad vulgarem usum pertinens, ad nomen Apollinis, ut ex ll. IV. 514. satis patet, appositio. Indignatione enim & belli furore incensus Deus, a summo Pergamo clamans Trojanos hortatur & incitat: ob vocem suam terribilem, aut præpterea quod animum, ad terrorem Græcis incutiendum idoneum, Trojanis injiceret, *δεινος* dictus.

Αφητωρ. Multas & varias Interpretum de hoc cognomine conjecturas recensere opus haud est, cum plurimæ illarum, abluvidis commentis superstructæ, mole sua facile ruant(s). Sufficiat monuisse, expeditissimam explicandi viam per τὸ αφίεναι patere, unde αφητωρ est ὁς αφησι, qui mittit. Quum vero Græci sermonis rationibus convenienter, tam ad τοξικὴν quam μαντικὴν Apollinis, referri nomen hoc possit (βελος enim αφίεναι & φωνὴ ιεναι dicere solent Græci); duplex hinc enata est interpretationo, quarum neutra defensoribus suis caret. Quamvis autem negandum non sit, τὸ αφίεναι commode quidem ad jaculandi peritiam Apollinis posse traduci, nec apud Homerum ulla a vaticinandi arte ducta occurrere Epitheta; profiteri tamen non veremur, alteram illam eo ex capite sapere explicationem, quod extra omnem dubitationis aleam positum sit, Oraculorum Delphicorum Antistitem αφητορα fuisse nuncupatum, indeque probabile esse, Ipsum Apollinem eodem titulo (nobiliori adhuc sensu) apud Homerum celebrari.

§. V.

---

α) De his videri posunt SUIDAS, APOLLONIUS & HESYCHIUS sub. h. v. & in primis HEYNE lib. cit. Tom. V. p. 515.

## §. V.

Ad quartam denique Epithetorum Apollinis classem quod attinet, sequentia tantum in Homero legenda existant.

*Λυκηγενης*, varium pro diversa interpretandi ratione admittit sensum; adeo ut mirum non sit, quam maxime dissentientes esse Interpretes. Sunt qui ad fabulas, de *lupis* (*λυκοις*) ab Apolline peremptis, de Latona (Apollinis matre) in *Lupam* Eundem nutrientem mutata &c. respectu habito, epitheton hocce explicent. Nec desunt, qui ad physicas causas universam veterum Mythologiam revocantes, ex ant quisima lingua Græca ætate, qua *λυκος* I. *λυκη lux, diluculum*, erat, nomen hoc ad Apollinem Solis Deum, adeoque *lucis genitorem* (*τον γεννωντα την λυκην*), referant. Aliis porro, in cultu, quo in *Lycia Phrygica* celebratus fuit Apollo, rationem nominis querere placet. Quidam denique Apollinem in *Lycia* natum, aut saltem a tenera sua infantia ibidem educatum, indeque *λυκηγενην* dictum esse statuunt. Atque hanc quidem sententiam (Apollinem sc. in Lycia natum epitheto illo *λυκηγενης* respici), ceteris conjecturis, ex duplice potissimum arguento, præterendam esse judicamus. Præterquam enim quod recte moneat KÖPPEN, terminationem illam *γενης*, repugnante analogia vocum *Θηβαγενης*, *Τειτογενεια*, *ευγενης*, *διογενης* &c. activum minime admittere posse sensum; ipse orationis, in qua epitheton *λυκηγενης* apud Homerum occurrit, suadere videtur contextus, nonnisi Apollinem in *Lycia* natum spectari. Sic ex gr. cum II. 101. legimus, *Pandarum, eximium illum sagittarium, Apollini λυκηγενει*, si Menelaum sagitta configere sibi succederet, sacrificium vovisse hecatombæum; ad fidem maxime primum videtur, hunc *Lyciorum* ad Trojam *Principem*, non

solum propterea, quod sagittariis in universum favere crederetur Apollo, sed &, quod Lyciorum Patrium Deum, sibi, *e Lycia oriundo!* in hac re adstitutum certo speraret, votum illud concepisse. Cum enim Teucer, Meriones, aliquique Heroës, vota Apollini facientes, epithetis ad τοξευντας referendis Eum compellent, vix ullam, cur ori Pandari minus frequens Epitheton λυκηγενης impositum eset, nisi communem cum Apolline patriam ejus respexit Poëta, idoneam reddere possumus causam.

Ἄηταιδης, Ληταις νιος, Ληταις γενεθλη, Ληταις αγλαος νιος, Ληταις ερυμεδεος νιος, & quæ sunt cetera ejusdem significatio[n]is Epitheta, in Theogonia Græca egregie explicantur. Apollo enim Jovis & Latonæ filius, Allegoricis, ut videtur, ad naturam Ejusdem respicientibus causis fundamenti loco positis, fingitur. Jovem namque aërem superiorem esse perhibent, Latonam noctem, quia nocte omnia ληθεσι: Apollo igitur s. Sol, e nocte quasi oriens & in æthere positus, ab æthere & nocte, obscura sua conjunctione omnia confusa olim tenentibus, genitus est. Patronymicorum ergo in numerum cognomina hæc referenda esse, facile patet.

Διος νιος, & separatim & cum illo Ληταις νιος junctum occurrit, synonymumque est cum Διος τεκος, nec multum differt a Διι φιλος. Jovi tamen caros, quoscunque etiam homines, corporis, ingenii, vel fortunæ dotibus eximiis eminentes, dici, pluribus locis testatur Homerus (t).

Plura Apollinis Epitheta in Homero offendere, nobis saltem non licuit.

t) ex gr. Achilles Il. I. 74 — Hector Il. X. 49 Et.